



*Nov 90*  
DE

ANTIQUISSIMIS TRIBUBUS  
ATTICIS EARUMQUE CUM  
REGNI PARTIBUS NEXU.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
HISTORICA,

QUAM

AD GRADUM

PHILOSOPHIAE MAGISTRI

IN

UNIVERSITATE CAESAREA DORPATENSIS  
OBTINENDUM

PUBLICICE DEFENDET

*MICHAEL KUTORGA,*  
PETROPOLITANUS.



DORPATI LIVONORUM.

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.  
MDCCCXXXII.

**Imprimatur**

haec dissertatio ea conditione, ut simulac typis excusa fuerit, quinque exemplaria collegio, cui librorum exploratio mandata est tradantur.

Dorpati d. 29. Novembris 1852.

**Dr. Blum,**  
**Decanus.**

06011

Lectori benevolo salutem.

**J**am tibi novam hanc de antiquissimis tribubus Atticis earumque cum regni partibus nexu propono disquisitionem, quam benevole accipias et ne mireris velim denuo id tractatum esse a me argumentum, de quo tam multi disputaverint. Neque enim desiderium novas proferendi opiniones, ut vulgo accidit, ad hoc me impulit consilium, neque viros doctos, qui hac de re scripserunt, vituperandi tantum cupido; sed ea sola ratione ductus, meam in hac re operam posui, ut eam secundum artis criticae praecepta, pro virili parte, ut par est historico, exponerem atque explicarem. Ad hanc vero disquisitionem non solum Graecorum scripto-

rum attuli testimonia, sed etiam ex aliorum populorum annalibus exempla colligere studui, ut eo facilius e diversorum, quae apud varias gentes obtinuerunt, institutorum comparatione enitescere possit aut veritas, aut denique verisimilitudo.

Quum vero ad hanc rem explicandam accedam, perdifficile mihi videtur esse opus, de iis ferre rebus iudicium, de quibus tam multi disseruerint. Inde enim a Sigonio, Meursio ac Scaligero, qui primi hac de re scripserunt, permultos video viros, quos excitare licet; qui tamen omnes usque ad Boeckhium atque Hüllmannum, qui anno 1814 librum de Historiae Graecae primordiis in lucem edidit, breviter tantum et summatim rem istam attigerunt. Ita Pfeiferus, in opere quod antiquitates Graecae gentiles, sacrae, politicae, militares et oeconomicae inscribitur et anno 1689 Regiomonti est editum; tum Potterus in libro celeberrimo: *Archaeologia Graeca or the antiquities of Greece* Oxford 1799, qui in germanicam linguam a Rambachio anno 1775 conversus est; Nitschius denique, cujus opus lingua germanica sub titu-

lo: Beschreibung des häuslichen, gottesdienstlichen, sittlichen, politischen, kriegerischen und wissenschaftlichen Zustandes der Griechen nach den verschiedenen Zeitaltern und Völkerschaften. Erfordiae ando 1791 editum est. Neque Hemsterhusius et Wesselingius praetereundi sunt, in quorum ad varios scriptores Graecos commentariis multae reperiuntur gravissimae annotationes.

Recentissimis vero temporibus, postquam Boeckhii atque Hüllmanni disquisitiones in lucem editae sunt, maxime effloruit inter viros doctos antiquitatis studium, et hoc breve temporis spatium multos vidit libros, quibus antiquissima Atheniensium historia illustratur, quorumque auctores doctissimi omnium orè celebrantur. Buttmannum dico, Müllerum, Wachsmuthium, Schoemannum, Hermannum aliosque, qui optime de hac re meriti sunt; de quibus omnibus postea copiosius disputaturus sum.

Sed nonnulli qui hoc argumentum tractarunt, historiae saepius scientia non satis adjuvi, ad hanc rem difficillimam explanandam accessisse, alii vero partium studio a recta via

sevocati, in alia omnia potius abiisse mihi videntur. — Equidem partium studio, novus scriptor, non teneor; et cum nihil commune mihi sit cum iis, quorum nomina hoc in opusculo meo partim laudantur, partim etiam, si res postulat, vituperantur; nullaeque mihi cum iis intercedant necessitudines: quas professus sum opiniones, eas e solo purissimo historiae fonte haurire studui. Num omnia vera enuntiaverim, rei periti judicent. Mihi vero iudicium de hac mea commentatione justum atque aequum gratissimum semper erit, praesertim si rescierim, laborem meum viris doctis non omnino displicuisse.

---

## CAPUT PRIUS.

---

De regni Attici partibus, quae tribuum nomine designantur.

Est hoc in more institutisque omnium populorum positum, ut princeps civitatis, cum filios suos, tum viros de republica imprimis meritos, eorum honorum communione ornet, quibus ipse fruitur; quod quum nostra aetate in reipublicae potissimum muneribus fungendis versatur, tum prioribus temporibus in terrarum distributione constabat. Quem morem non solum in civitatibus recentioribus, Rossia, Anglia aliisque, sed etiam apud gentes antiquiores obtinuisse, ex earum annalibus colligere possumus. Idem enim institutum invenimus etiam in Atheniensium historia. Sane quidem regni divisi mentionem tum primum scriptores Graeci faciunt, ubi Pandionis res gestas narrant; sed eam jam antea habuisse locum, ex iis quae illi



de antiquissimis temporibus memoriae tradiderunt; conjicere licet. Ita Jones in ejus regionis possessionem miserat Erechtheus, quae vulgo tetrapolis dicitur, et ex historicorum testimoniis apparet, civitatem Eleusinam suis legibus usam fuisse, quod fieri non poterat, nisi regio illa prius principi alicui, ut postea Etmolpo, administranda tradita fuisset. Idem etiam de Megaride conjicio, quam antiquissimis temporibus, Atticae solo accensam fuisse, constans est fama.

Pandionem II, regnum inter filios divisisse, Sophocles cecinit, cujus fragmentum servavit Strabo <sup>1)</sup>, ubi Aegeus patrem jussisse loquitur:

*Ἐμοὶ μὲν ἀπελθεῖν εἰς ἀκτὰς τῆσδε γῆς,*

*Προσβεῖα νέμας· τῷ δὲ Λύκῳ —*

*Τὸν ἀντίπλευρον κῆπον Εὐβοίας νέμας·*

*Νίσῳ δὲ τὴν ὄμωρον ἐξαιρεῖ χθόνα*

*Σκείρωνος ἀκτῆς· τῆς δὲ γῆς τὸ πρὸς Νέτον*

*Ὁ σκληρὸς οὗτος καὶ γίγαντας ἐκτρέφαν*

*Ἐλληχε Πάλλας. <sup>2)</sup>*

1) Strabo l. IX, c. I, §. 6. ed. Coraes (p. 392.)

2) Illud fragmentum, uti in Coraes editione le-

Idem Aristophanis testatur Scholiastes <sup>1)</sup>, qui: Τὴν δὲ χώραν, inquit, τὴν Διακρίαν Πανδίωνα Φασί, τοῖς υἱοῖς διανεμάντα τὴν ἀρχὴν, Λύκῳ δύναι, Αἰγεῖ δὲ τὴν περὶ τὸ ἄστυ, Πάλλαντι δὲ τὴν Παγαλίαν, Νίσῳ δὲ τὴν Μεγαρίδα.

Megaritis igitur, Paralia, Diacria atque Ἀκται quatuor fuerunt partes, in quas regnum Atticum Pandionis diviserunt filii, ex quibus Aegaeus duas videtur hereditate accepisse regiones: Pediaeam et Ἀκτῆν; e scriptorum enim Graecorum testimoniis apparet, Atticam in quatuor fuisse descriptam partes, quarum nomina erant: Paralia, Diacria, Pediaea sive Mesogaea atque Acte <sup>2)</sup>.

Omnium harum nomina a situ ac soli natura petita fuisse quisque videt. — Qua de re Schoemannus in opere docto, quod de Comitibus scripsit, ita disserit: „Nam a Megaride „Atticam intranti regio est patentioribus quam

---

gitur, hic exhibui, licet contra metricas leges versus hi constituti esse mihi videantur.

1) Ad Vespas v. 1218.

2) Pollux onomast. VIII, 109. Krusii Professoris Hellas II, 67; Plameri Beiträge p. 45 sq.

„reliqua campis, montibusque minoribus et pau-  
 „cioribus interrupta, quae ad Bocoetiae fines  
 „montesque Parnethem, Brilessum, Pentelieum  
 „atque Hymettum porrigitur. Haec Atticae re-  
 „gio Πεδιον dicitur, sed ejus pars maritima sae-  
 „penumero peculiari nomine Ἀκτὴ vocari solet,  
 „qua in parte sitae sunt ipsae Athenae. A Par-  
 „nethe autem ad Brauronem oppidum aut paul-  
 „lo fortasse inferius, ad montem Hymettum  
 „promontoriumque Cynosuram, regio decurrens  
 „appellabatur Διακρία, nomine a montibus us-  
 „quequaque intersitis derivata <sup>1)</sup>). Sunt enim  
 „in hac parte Parnes, Brilessus, Pentelicus, at-  
 „que oppida Rhamnus, Marathon, Brauron si-  
 „ta“ <sup>2)</sup>). Quam regionem eam esse puto, cui  
 Jon praecerat, et quae tetrapolis olim dicebatur.  
 Leakeus, peregrinator clarissimus, in commen-  
 tatione, quam nuper de Demis Atticis scripsit  
 atque in regiae societatis litterariae operis edi-

---

1) Helych. v. Διακρία et ibi Albert. tom. 4, p. 947.  
 cf. Herod. 1, 59.

2) p. 342.

dit <sup>1)</sup>), tetrapoleos nomen censet post Thesei regnum nunquam occurrere, sed falso: Diodorus enim Siculus <sup>2)</sup>), Heraclidarum fugam narrans, hujus tetrapoleos facit mentionem. — Australis denique Atticæ pars, quæ ad montem Hymettum ac promontoria Zosterem et Cynosuram, ad Sunium usque porrigitur, atque utrimque mari alluitur, Πάραλος aut Παράλια dicebatur, urbibus Lampra, Laurio, Thorico, Potamo cincta <sup>3)</sup>).

Jam ex his paucissimis scriptorum Graecorum narrationibus luculentissime apparet, regnum Atticum iisdem fuisse obnoxium vicissitudinibus, quibus civitates recentiores tantopere turbatas vidimus. — Nam sicuti in Rossia aliisque regionibus, ita etiam in Atheniensium republica provinciarum duces nonnunquam a regia potestate deficere conati sunt. Qua de re Thucydides insigne affert testimonium, scri-

- 1) Transactions of the royal society of literature. London 1829. vol. I, pars II, p. 158.
- 2) Diodo. IV, 57.
- 3) Suidas v. Παράλοιοι et Παράλων, Hesychi v. λαμπρά. cf. Thucyd. II, 55.

hens <sup>1)</sup>: Ἐπὶ γὰρ Κίρκροπος καὶ τῶν πρώτων βασιλέων ἢ Ἀττικῇ ἐς θητιά ἀεὶ κατὰ πόλεις ᾤκειτο, πρωτανειᾶ τε ἔχουσα καὶ ἄρχοντας· καὶ ὅποτε μὴ τι δείσειαν, οὐ ξυγγέσαν βουλευσόμενοι ὡς τὸν βασιλῆα, ἀλλ' αὐτοὶ ἕκαστοι ἐπολιτεύοντο καὶ ἐβουλεύοντο· καὶ τινες καὶ ἐπολέμησάν ποτε αὐτῶν, ὡσπερ καὶ Ἐλευνῖνοι μετ' Εὐμόλπου πρὸς Ἐρεχθίαν. Unde innumerabilia bella orta, neque ullus turbarum finis aut modus erat; nam verisimillimum est plures existisse Scirones, Lycos atque Pallantidas, quorum res gestae memoriae traditae sunt. Hunc reipublicae Atheniensis statum, qui praecipue a Plutarcho in Thesei vita copiose est descriptus, optime cum ea Europae aetate comparaveris, quam vulgo equestrem (l'age de chevalerie) nominant, quaeque optimates, feudorum possessores, nemini obnoxii, omnes honores atque immunitates sibi vindicaverant quibus reges gaudent.

Ex hac miserrima conditione Theseus populum eripuit, vir fortissimus maximique consilii, certe aliis principibus qui plebem a nobilitum dominatione liberare et suam potestatem

---

1) Thucyd. II, 15.

augere conati sunt, uti Philippo Augusto Francorum, Joanne Magno Rossorum rege, aliisque haud inferior. Qui omnibus ducatibus (si ita appellare liceat), qui suis legibus, ut in Thucydidis libro legimus, regebantur, abolitis, magnum reipublicae iudicium, Prytaneum — Athenis constituit, qua de re idem scriptor eodem capite ita testatur: Ἐπειδὴ δὲ θεσεύς βασιλεύσει, γινόμενος μὲν τῷ ξυνετοῦ καὶ δυνατὸς, τὰ τε ἄλλα διεκρίσθητε τὴν χώραν, καὶ καταλύσας τῶν ἄλλων πόλεων τὰ τε βουλευτήρια καὶ τὰς ἀρχάς, ἐς τὴν νῦν περίην οὔσαν, ἐν βουλευτήριον ἀποδείξας καὶ πρυτανεῖον, ξυνόκησε πάντας καὶ νεμομένους τὰ αὐτῶν ἐκάστους, ἄπερ καὶ πρὸ τοῦ, ἠνάγκασε μιᾷ πόλει ταύτῃ χρῆσθαι, ἢ ἀπάντων ἡδηξυνητέλουτων ἐς αὐτήν, μεγάλη γενομένη, παρεδόθη ὑπὸ θεσεύς τοῖς ἔπειτα. Res igitur a Theseo gestae, quas Thucydides summatim tantum attigit, valde sunt credibiles, si eas cum iis contuleris, de quibus medii aevi scriptores disserunt.

Videamus nunc talium divisionum originem. — Prima quaestio est, fuerint ne illae arbitrarie nec ne. Ad quam quaestionem solvendam videamus, quomodo medii, quod dicunt, aevi regna dividi solita sint. Ea semper secundum

tribus (nach den Stämmen) descripta invenimus. Sic in Rossia Severani, Polani, Polotshani, Muromenses, Slavi aliique, totidem principatus formarunt, qui Tschernigow, Kiew, Polotzk, Murom, Noygorod dicebantur. Pariter etiam Germanorum ducatus Suevia, Bojotaria, Saxonia, Franconia a variis gentibus suam originem duxerunt.

Idem in Francia fuisse Augustinus Thierry ingeniosissimus in epistolis probavit celeberrimis, quas de francica composuit historia <sup>1)</sup>. — Omnes igitur tales regnorum medii aevi divisiones minime erant arbitrariae, sed a diversis tribubus originem suam ducebant. Eandem invenio rem etiam in Atheniensium republica, in qua illae regni partes voce *φωλῶν* designabantur, quod vocabulum tribum significare inter omnes constat. Maxime igitur Atticorum *φωλῶν* cum terrae partibus conjunctas fuisse, ex hoc luculentissime apparet. Nunc ad eas ipsas explanandas accedo.

---

1) Lettres sur l'histoire de France. 2<sup>ae</sup> editionis  
p. 191 — 247.

---

## CAPUT SECUNDUM.

---

### De tribubus Atticis.

#### §. 1.

Instituenti mihi de Atheniensium disserere tribubus, et uno quasi aspectu totum disputationis meae argumentum complexuro, necessaria videtur esse ejus quaestionis enarratio, aqua omnia fere, quae dicturus sum pendent. Vocabuli nimirum *φυλῆς* significationem dico, de qua tam diversa tulerunt Viri docti judicia. — Quae ut melius dijudicare possimus, videamus hujus vocabuli originem, quod arcissime mihi cohaerere videtur cum vocabulo *φῦλον*, genus, genteur, nationem, ut Schneiderus explicat, designante et quidem a *φύω* originem ducente. Etymologici magni auctor et quem ille laudat Orus, *φῦλα ἔθνη* 1) significare dicunt, *τὴν ἐκ πολλῶν*

---

1) Etym. mag. v. *φύλα*.



ἄθροισιν, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν φύλλων. — Tribus igitur sive Φυλαί, φύλλοις sive foliis dicuntur esse similes, in civitatis corpore easdem gerentes vices atque in arboribus folia. Idem testatur etiam Stephanus Byzantius <sup>1)</sup>, qui Φῦλον τὸ ἔθνος, inquit, ἀπὸ τῆς φυλῆς δηλονότι, ἢ ἀφ' οὗ ἡ φυλή. — Idem alii multi scriptores antiqui memoriae tradiderunt, e quibus unum afferre juvat locum, hac in re palmarium, quem nobis Stephanus Byzantius <sup>2)</sup> e Dicacareko conservavit; quique secundum optimam Buttmanni emendationem ita se habet: Πάτρα, ἐν τῶν τριῶν τῶν παρ' Ἑλλήσι Κοινωνίας εἰδῶν, ὡς Δικαίσαρχος, ἃ δὴ καλοῦμεν Πάτραν, Φρατρίαν, Φυλὴν. Ἐκλήθη δὲ πάτρα μὲν εἰς τὴν δευτέραν μετάβασιν ἐλθόντων ἢ κατὰ μόναν ἐκάστῳ πρότερον οὔσα συγγένεια, ἀπὸ τοῦ πρεσβυτάτου τε καὶ μάλιστα ισχύσαντος ἐν τῷ γένει τὴν ἐπωνυμίαν ἔχουσα, ὅν ἂν τρόπον Αἰακίδας ἢ Πελοπίδας εἶποι τις ἄν.

Φατρίαν δὲ συνέβη λέγεσθαι καὶ Φρατρίαν, ἐπειδὴ τινες εἰς ἑτέραν πάτραν ἐδίδοσαν θυγατέρας αὐτῶν οὐ γὰρ ἔτι τῶν πατριωτικῶν ἱερῶν εἶχε κοινωνίαν ἢ δοθεῖσα,

1) Steph. Byz. v. Φῦλον.

2) idem. v. Πάτρα.

ἀλλ' εἰς τὴν τοῦ λαβόντος αὐτὴν συνετέλει πάτραν. ὥστε πρότερον πόδι τῆς συνόδου γιγνομένης ἀδελφαῖς σὺν ἀδελφῶν, ἐτέρω τις ἱερῶν ἐτίθει κοινωνικὴ σύνοδος, ἣν δὴ Φρατρίαν ὠνόμαζον. καὶ πάλιν ὥστε πάτρα μὲν ὄνπερ εἰκομένῃ ἐκ τῆς συγγενείας τρόπον ἐγένετο μάλιστα τῆς γατέων σὺν τέκνοις καὶ τέκνων σὺν γονεῦσι, Φρατρία δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀδελφῶν.

Φυλὴ δὲ καὶ φυλέται πρότερον ὠνομάσθησαν ἐκ τῆς εἰς τὰς πόλεις καὶ τὰ καλούμενα ἔθνη συνόδου γενομένης. ἕκαστον γὰρ τῶν συνελθόντων Φῦλον ἐλέγετο εἶναι.

Quo ex loco luculentissime apparet sub vocabulo φυλῆς homines consociatos, atque in unum eundemque statum civilem coactos intelligendos esse; quocum vocis significatu omnia ea consentiunt, quae in Graecorum scriptorum operibus de his φυλαῖς scripta legimus. — Sic reperiuntur apud Homerum <sup>1)</sup> Φῦλα Πελασγῶν, quae aperte omnes Pelasgorum stirpes denotant, et Dorienses insulam Rhodum καταφυλαδὸν incolentes <sup>2)</sup>; eundem sensum τρίφυλοι Κυρηναῖοι Hero-

1) H. II, 840.

2) ibid. II, 668.

doti <sup>1)</sup> habent. Herodotus enim, ubi de Cyrenensibus loquitur et de ordine a Demonaecte introducto, ita scribit: Οὗτος ὢν ἠγήρ ἀπικόμενος ἐς τὴν Κυρήνην, καὶ μαδῶν ἕκαστα, τοῦτο μὲν, τριφύλοις ἐποίησέ σφας διαδέις. Θηραίων μὲν γὰρ καὶ τῶν περιόικων μίαν μοίρην ἐποίησε· ἄλλην δὲ Πελοποννησίων καὶ Κρητῶν· τρίτην δὲ νησιωτίων πάντων. Eodem etiam modo Syncellus vocabulo hoc usus est, quum <sup>2)</sup> φυλὴ Ἰουδα scriberet. Apud omnes igitur scriptores Graecos ab Homero inde usque ad Syncellum vocabulum hoc uno eodemque usurpatum sensu invenimus.

Illam autem, de qua diximus, hominum consociatio duplici modo fieri potest; nam alii unam eandemque praeseferunt originem; ut Athenienses ad singulas pertinentes gentes singulas effecerunt tribus, qua de re postea copiosius dicturus sum; alii, ex diversis quamvis conflati sint gentibus, certis tamen loci circumscribuntur finibus, quod imprimis Dionysius in loco infra laudando describit. Hanc φυλὴν τοπικὴν,

---

1) Herod. IV, 161.

2) Syncellus p. 175.

illam γενικήν appellant veteres. Qua de re classicus in Dionysii Halicarnassensis Archaeologia reperitur locus, qui Servii Tullii instituta narrans: καὶ οὐκ ἔτι, inquit <sup>1)</sup>, κατὰ τὰς τρεῖς φυλάς τὰς γενικάς στρατιωτικά, ὡς πρότερον, ἀλλὰ κατὰ τὰς τέσσαρας τὰς τοπικάς, καὶ τὰς ὑφ' ἐαυτοῦ διαταχθείσας ἐποῖετο, ἡγεμόνας ἐφ' ἐκάστης ἀποδείξας συμμορίας, ὡς περ φυλάρχους ἢ κωμαρχούς etc. Quem locum Guilelmus Wachsmuthius in opere, quod de antiquissima romana conscripsit historia <sup>2)</sup>, explicans: „Dionysius spricht hier“, inquit, „von drei Geschlechtstribus des Romulus: er scheint also, wie auch im Grunde kein Zweifel sein kann, die tribus als auf einen Unterschied von Volksstämmen begründet, und nicht als rein willkürliche arithmetische Zerfällung der Masse zu kennen“. Idem etiam Niebuhius in tertia libri sui editione affirmat <sup>3)</sup>: „Die Stämme der alten Staaten waren auf zweierlei Art begrün-

---

1) Dionys. IV, 14.

2) Die ältere Geschichte des Römischen Staates. p. 195.

3) Römische Geschichte 3<sup>ae</sup> editio: vol. I, p. 339.

det, entweder nach Geschlechtern oder nach Orten. Der sorgfältige Forscher der Archäologie, Dionysius, unterscheidet die älteren römischen Stämme und die des Servius namentlich so, als Geschlechterstämme und Ortsstämme, sicher nach Vorgängern“. Et postea clare et aperte haec duo tribuum genera discernit dicens <sup>1)</sup>: „Die Geschlechterstämme gehen dem Alter nach vor den Ortsstämmen, und werden fast allenthalben von ihnen verdrängt“. Eandem etiam tribuum descriptionem facit Carolus Ludovicus Grotefendus in dissertatione de Denis Atticae, quam Goettingae anno 1821 publice defendit; sed falso ab eo laudantur Schoemannus, Platnerus aliique, apud quos nihil de ea re mihi anquirenti occurrit <sup>2)</sup>. — Ad *φυλὰς γενικὰς* referendae mihi esse videntur quatuor antiquissimae Atheniensium tribus: Geleontes, Aegicorenses, Argadenses atque Hopletae, de quibus plura disputaturus sum infra; tres etiam Romanorum tribus, in quas ante Servium Tul-

---

1) id. ibidem.

2) p. 7.

lium populum descriptum fuisse, diserte testatur Dionysius; pariter etiam tres Doriensium tribus, quae Ἰλλεῖς, Πάμφυλοι atque Δυμᾶνες dicuntur et de quibus scripsit Stephanus Byzantius 1).

Topicas deinde tribus eas esse diximus, quae ex diversis quamvis conflatae sint gentibus, certis tamen circumscribuntur loci finibus; de his idem historiae Romanae auctor disserens 2): „Die Ortsstämme, inquit, entsprachen ursprünglich einer Eintheilung der Landschaft in Gauen und Dörfer; so daß, wer zu der Zeit, als diese angelegt ward, in Attica unter Clisthenes in einem Dorf angesessen war, als dessen Demotes, in der Phyle, zu deren Region jenes gehörte, eingeschrieben ward“. Cui plane assentiens, Clisthenis decem tribus et 31 Servii Tullii, quibus alias plures etiam adjungere licet, topicas fuisse puto.

Habes, lector benevole, meum de tribuum origine atque de duplici earum genere judi-

1) Stephanus Byz. v. Δυμᾶν.

2) Tomo I, p. 341.

um, quod aut sequere, si probaveris, aut refuta, si aliud quoddam melius afferre potueris. Eas vero a reipublicae ordinibus diversas esse quisque facile videt; at Niebuhrus, qui, quamquam in iis, quos laudavi et multis aliis locis, tribus ab ordinibus discernere videatur, 326 tamen et quae eam sequitur toni primi pagina, omnino alia affirmat, dicens: Wo im früheren Alterthum, che unwiderstehlicher Wandel der Verhältnisse zu demokratischen Einrichtungen führte, Stämme erwähnt werden, da ist, wenn ihre Rechte verschieden sind, und sich über ihr Wesen etwas wahrnehmen läßt, entweder Castenverschiedenheit oder verschiedene Herkunft unverkennbar: und auch jene, wo sie erklärbar ist, entstand immer aus Einwanderung oder Unterjochung, selbst in Aegypten und Indien. Dieses Loos müßte also Attika schon vor der Jonischen Einwanderung gehabt haben, wenn es kein Traum ist, daß dort einst die Adlichen, Bauern und Handwerker 3 Stämme ausmachten. Die 4 Jonischen sind historisch, aber ihre Deutung als Kasten beruht nur auf einer höchst zweifelhaften Auslegung

ihrer Namen, welche Stand und Beruf anzudeuten scheinen“. — Quem locum duabus illustravit adnotationibus, quarum in priori Pollucis liber VIII, c. 111 laudatur, qui ibi de *Εὐπατριδαί, Τρωάδοις* atque *Δημιουργοῖς* disserit. Sed neque in hoc Pollucis loco tribuum invenio mentionem, neque alium quemquam scio scriptorem Graecum vel Latinum, qui illas tres populi partes voce *φυλῶν* designaverit; sed iis semper reipublicae ordines designatos fuisse, quum ex aliis multis conficitur testimoniis, tum Plutarchi praecipue in vita Thesei <sup>1)</sup>. Sed ipsum Niebuhrium video haud sibi ipsi constare, quum postquam nobiles, rusticos atque opifices tres fuisse tribus ante Jonicas dixisset, statim postea quatuor tribus Jonicas non mythicas, sed historicas fuisse affirmet. Nam illos tres Atheniensium ordines, quos ille tribus nominat, pariter fuisse Jonicos, satis apud omnes constat. Falsum etiam est, quod de Hermanno in adnotatione 758 idem Vir doctissimus tulit iudicium: „Aber das Licht, welches von Hermanns Er-

---

1) Theseus c. XXV.



örterung dieses Gegenstandes ausgeht (Vorrede zum *Jon.* p. XXI, ff.) macht es mir so gut wie gewiß, daß die Angabe nicht ächt ist“; nihil enim de ea re in Hermanni ad Euripidis *Jonem* prooemio invenitur.

Plane ab hac diversam tulit Hüllmannus sententiam, qui in libro de historiae graecae primordiis conscripto <sup>1)</sup>, quatuor illas tribus *Jonicas* tanquam ordines considerat. Quam ejus opinionem etiamsi falsam atque inveteratam, plures tamen, iique doctissimi probare videntur viri, uti Schoemannus aliique, qui nomine *Φυλῶν* Castas designari opinabantur, de quibus accuratius dicturus sum postea.

## §. 2.

Quum capite antecedenti de iis disseruerimus rebus, de quibus pauci tantum disputaverint; nunc ad id argumentum tractandum accedimus, de quo varia tulerunt Viri docti judicia. Valde errabit tamen qui totam rem exhaustam esse existimet; nam neque iis, qui primi hoc

---

1) Anfänge der griechischen Geschichte p. 136.

certamen commoverunt, coeptam a Meursio telam pertexere conantes, omnia veterum testimonia complecti licuit; nec ii quos suscepti operis amor et improba credendi libido a vero abstraxit, aliquid majoris momenti fecerunt; nonnulli etiam nihil aliud quaerebant, nisi ut lectorem mysteriis ac symbolis excitarent, omnia quotidiana oscitantes. Novissime hanc materiem Wachsmuthius Vir litteratissimus, Professor Lipsiensis in docto libro quem de Antiquitatibus Graecis composuit <sup>1)</sup>, tractavit, a quo plerique, qui illud argumentum attigerunt, laudati sunt. His accedant: Welckerus in Trilogia Aeschylea <sup>2)</sup>; Ern. Ilgenus, qui disquisitionum de tribus Atticis earumque partibus specimen Berolini edidit; Carolus denique et Godofredus Hermann, de quibus postea dicam.

De tribus Atticis scripturus, duas potissimum quaestiones solvendas video; quarum altera in disquisitione, quid vocabulo *φωλῶν* de-

---

1) Griechische Alterthumskunde, aus dem Gesichtspuncte des Staates. vol. I, par. I, p. 224 sqq.

2) Aeschylische Trilogie. p. 294 sqq.

signetur, et fuerintne illae id, quod nos Castas nominamus nec ne; altera vero in nomen, quae tribus indita erant, explicatione, praecipue versatur. Quae etsi cognatae atque affines esse videantur quaestiones, ut non bene separari possint, ad rem tamen melius explanandam videamus ante omnia, quid de quaestione priori certi statuere liceat.

### §. 3.

Voluerunt nimirum nonnulli, Athenis prae-  
cis temporibus, homines, secundum diversa  
vitae genera, ita ut apud Indos vel Aegyptios,  
discretos invenisse. Quod qui contenderent, eo-  
rum primi exstiterunt Boeckhius atque Hüll-  
mannus, quorum hic opinionem suam in pri-  
mordiis historiae Graecae exposuit, ille in dis-  
sertatione quae indici lectionum Berolinensium  
anni 1812 est adjecta et in Musei Cantabri-  
giensis fasciculo octavo est repetita. Cum iis  
consentiant Creuzerus in Mythologia <sup>1)</sup>, Butt-  
mannus in illustri sua de voce *Φαργία* com-

---

1) Symbolik und Mythologie. III, 55, edit. 2ae.

mentatione <sup>1)</sup>, Müllerus in Orchomenicis <sup>2)</sup>, Carolus Fridericus Hermannus, Professor nunc Marburgensis, qui nuper (1831) librum optimum de antiquitatibus graecis Heidelbergae edidit <sup>3)</sup>, Eduardus denique Platnerus, pariter Professor Marburgensis, qui disquisitiones de tribubus et demis anno 1820 edidit <sup>4)</sup>. Discrepant: Tittmannus <sup>5)</sup>, Weissius <sup>6)</sup>, Eggo <sup>7)</sup>; melius vero quam ceteri hanc rem refutavit Godofredus Hermannus in prooemio ad Euripidis Ionem a se editum <sup>8)</sup>. — Medius inter omnes stat Wachsmuthius, qui etiamsi sex fere et quas excurret, in hac re pertractanda consumpserit paginas, nihil tamen definite dixit, ita ut ejus

- 
- 1) In actis Academiae Beroliensis, Anni 1818; reperta est in primo Mythologi tomo.
  - 2) Geschichten Hellenischer Stämme und Städte, volum. I, p. 307.
  - 3) Griechische Staatsalterthümer aus dem Gesichtspuncte der Geschichte, p. 177.
  - 4) Beiträge zur Kenntniß des Attischen Rechts, Marburgi 1820.
  - 5) Griechische Staatsverfassung, p. 567.
  - 6) De rerum publicarum forma, p. 90.
  - 7) Untergang der Naturstaaten, p. 143.
  - 8) p. XXVIII sq.

sententiam plane ignores. Unde vero sciunt Viri illi, istud orientis populorum institutum etiam apud Jones Atticos obtinuisse? Platonis afferant testimonium, qui haec de antiquissimis Atheniensium rebus scripsit in Critia p. 110. c.

*ἔκει δὲ τότε ἐν τῇδε τῇ χώρῃ τὰ μὲν ἄλλα ἔθνη τῶν πολι-  
τῶν, περὶ τὰς δημιουργίας ὄντα καὶ τὴν ἐκ τῆς γῆς τρο-  
φὴν τὸ δὲ μάχιμον, ὑπ' ἀνδρῶν θεῶν κατ' ἀρχὰς ἀφορισθέν,  
ἔκει χάρις, πάντα εἰς τροφὴν καὶ παιδείαν τὰ προσήκον-  
τα ἔχον· ἴδιον μὲν αὐτῶν οὐδεὶς οὐδὲν κεκτημένος, ἅπαν-  
τα δὲ πάντων κοινὰ νομίζοντες αὐτῶν, κ. τ. λ.* At pri-  
mum nullam video hic tribuum, sed tantum or-  
dinum mentionem, et praeterea tota res de qua  
agitur est fabula. Instituit enim Plato bellum  
illo in dialogo narrare, quod inter Athenienses  
et incolas Atlantidis insulae novem millibus an-  
norum ante Solonem gestum esset, eumque in  
finem, quae eo tempore utriusque populi insti-  
tuta fuerint, exponit. Eas vero notiones ex  
Aegyptiaca scientia cum hausisse, e simili loco  
in Timaeo p. 24. A. apparet, ubi Aegyptius de  
iisdem institutis Solonem ita alloquitur: *Τοὺς  
μὲν οὖν νόμους σκόπει πρὸς τοὺς τῆδε. παλλὰ γὰρ παρα-  
δείγματα τῶν τότε παρ' ὑμῶν ὄντων, ἐνθάδε νῦν ἀνευρήσεις.*

πρῶτον μὲν, τὸ τῶν ἱερῶν γένος, ἀπὸ τῶν ἄλλων χωρὶς ἀΦωρισμένον· μετὰ δὲ τοῦτο, τὸ τῶν δημιουργῶν, ὅτι καὶ αὐτὸ ἑκάστον, ἄλλῃ δὲ οὐκ ἐπιμιγνύμενον δημιουργεῖ τὸ, τε τῶν νομέων καὶ τῶν θηρευτῶν, τό, τε τῶν γεωργῶν. καὶ δὴ τὸ μάχιμον γένος ἤσθηται που τῆδε, ἀπὸ πάντων τῶν γενῶν κεχωρισμένον, οἷς οὐδὲν ἄλλο πλὴν τὰ περὶ τὸν πόλεμον ὑπὸ τοῦ νόμου προσετέχθη μέλειν. —

Nihil igitur ex his Platonis locis probatur.

Fuerunt vero etiam inter Antiquos, qui diversa vitae genera tribuum nominibus significari opinabantur; de iis Plutarchi adest testimonium, qui de Solonis institutis disserens <sup>1)</sup>: καὶ τὰς φυλάς, inquit, εἰσὶν οἱ λέγοντες οὐκ ἀπὸ τῶν ἰάνος ἰών, ἀλλ' ἀπὸ τῶν γενῶν, εἰς ἃ διηρέθησαν οἱ βίαι τὸ πρῶτον, ὠνομάσθαι τὸ μὲν μάχιμον Ὀπλίτας, τὸ δ' ἐργατικὸν Ἐργάδεις· δευτὴρ δὲ τῶν λοιπῶν Τεδιόντας μὲν τοὺς γεωργοὺς, Αἰγικορεῖς δὲ τοὺς ἐπὶ νομαῖς καὶ προβατικαῖς διατρίβοντας. Eadem fere, sed non adjectis tribuum nominibus, Strabo <sup>2)</sup> dicit res ab Ione gestas narrans: ὁ δὲ πρῶτον μὲν εἰς τέσσαρας φυλάς διεῖλε τὸ πλῆθος, εἶτα εἰς τέσσαρας βίους·

1) Solonis vita c. 23.

2) Strabo VIII. 6. §. 1. (p. 385.)

τοὺς μὲν γὰρ γεωργοὺς ἀπέδειξε, τοὺς δὲ δημιουργοὺς, τοὺς δὲ ἱεροποιούς, τετάρτους δὲ τοὺς Φύλακας. Quibus ducti testibus, ii recentiorum scriptores, quos jam antea nominavi, Athenienses putabant in castas, prisco tempore, fuisse descriptos; et quum omnes fere de Hopletibus, Argadensibus atque Aegicorensibus consentiant, quos milites, opifices atque pastores fuisse censent; tum magna est inter eos de Geleontibus dissensio. Quorum Boeckhius et, qui ei assentitur, Carolus Othofredus Müllerus in Orchomenicis et in libro, quem de Minervae Poliadis sacris scripsit <sup>1)</sup>, Euripidem sunt secuti, qui Τελεόντες exhibet, quosque illi agricolas fuisse dicunt, qui ad veteres Atticae incolas pertinebant et stipendia nobilibus solvere coacti sunt τὸ ἕκτον τελοῦντες <sup>2)</sup>. Etiam Welckerus hanc accepit nominis formam, sed de significatione ejus plane contrariam tulit sententiam, quippe quos patri-

---

1) Orchomenos p. 307; Minervae sacra p. 12. (Gottingae 1820.)

2) Pinitarchus in Solonis vita c. 13. cf. Hesych. v. Ἐπίμορτος.

cios fuisse censeret <sup>1)</sup>, in quorum manibus tota  
 versaretur reipublicae administratio, et nomen  
 illud a vocabulo  $\tau\acute{\alpha} \tau\acute{\epsilon}\lambda\eta$  derivaret, quod Grae-  
 co sermone magistratum significet <sup>2)</sup>. Alii, ut  
 Hëmsterbusius, et qui ejus sententiam proba-  
 runt: Wesselingius <sup>3)</sup>, Creuzerus <sup>4)</sup> et nuper  
 Schoemannns <sup>5)</sup>,  $\tau\epsilon\lambda\epsilon\acute{o}\nu\tau\epsilon\varsigma$  praefereunt, quos di-  
 cunt splendidos, illustres ab obsoleto verbo  $\gamma\epsilon\lambda\epsilon\acute{\iota}\nu$ ,  
 quod Hesychnus  $\lambda\acute{\alpha}\mu\pi\epsilon\iota\nu$ ,  $\acute{\omega}\nu\theta\epsilon\acute{\iota}\nu$  explicat <sup>6)</sup>.  
 Quas omnes opiniones, ut bene dijudicare pos-  
 simus, videamus quid certi e scriptorum Grae-  
 corum operibus de Gelcontum forma eruere li-  
 ceat. Qui sunt igitur qui  $\tau\epsilon\lambda\epsilon\acute{o}\nu\tau\epsilon\varsigma$  habent?  
 „Euripides, ejus Jonem pauci, iiq̄ue valde cor-  
 „rupti codices servarunt; Pollux ejus libri sca-  
 „steant mendis, tum duo codices Herodoti et  
 „vulgatá apud Stephanum scriptura, quum utri-

---

1) Aeschylische Trilogie p. 298.

2) Copiose de hoc vocabulo scripsit Wachsmuthius in *Antiqq. Graecis* p. 524 sq. (Epimet. XIV.)

3) *Dissert. Herod.* p. 164 et ad Herodot. V. 66.

4) *Mythologie* III. p. 62.

5) *De Cominiis Atheniensium. Gryphiswaldiae* 1819. p. 356 sq.

6) *Hesych. Tomo II.* p. 811. Alber.



„usque scriptoris major librorum pars γ exhibit 1).“ Omnes ceteri cum nulla lectionum varietate *Τελόντες* edunt. Jam his testibus solis si res ageretur, non dubitaverim quin *Τελόντες* vera sit lectio; sed habemus etiam alia majoris momenti argumenta, ad nostram opinionem probandam. Tres nimirum supersunt inscriptiones, quas etiam ipse affert Boeckhius, duae Tejae, quae *Φυλὴν Τελόντων* memorant et alia Cyzicena, quam edidit Caylus 2), in qua quum omnes nominentur illae Jonicae tribus, et quidem *Αἰγικορεῖς* tab. 59, 60, 62, 70, 71; *Ἀργαδεῖς* tab. 61, 69; *Ὀπλητες* tab. 61; tum *Τελόντες* distinctis minimeque dubiis litteris, ut diserte testatur Caylus, scripti tabula 60, 69 inveniuntur. Quarum mihi, ita ut Hermanno aliisque, tanta esse videtur auctoritas, ut non dubitem, quin haec *Τελόντων* forma, vera et unica sit nominis scribendi ratio. Cyzicenorum enim civitatem vera et antiqua tribuum suarum nomina, aut ignorasse, aut temere et arbitrario mu-

1) Haec sunt Hermannii verba. p. XXIV.

2) Recueil d' Antiquités. tom. II, tab. 59 59q.

tasse, quis est, qui credat? Quae quum valeant, in vanum recident omnia, quae de tribubus istis a Muellero, Boeckhio aliisque disputata sunt. Sed quod semper mirabar et etiam nunc satis mirari nequeo, sunt eorum de tribuum cum diversis Atticae regionibus nexu opiniones; qua de re scripserunt: Schoemannus <sup>1)</sup>, Platnerus <sup>2)</sup>, Buttmannus <sup>3)</sup>, praecipue vero Muellerus in Erschii et Gruberi Encyclopaedia <sup>4)</sup>. Dicunt illi nimirum Atticam secundum tribus fuisse divisam et unumquemque Pandionidarum singulam tribum hereditate accepisse. Quod verum et jam capite priore a me probatum esse, lectorem scire puto. Sed si voce  $\phi\omega\lambda\acute{\omega}\nu$  Castae sunt subintelligendae, pastores, milites, sacerdotes atque opifices separati incolere debuissent Atticae regiones et Pandionis filiorum, patre mortuo, alter sacerdotibus, alter militibus et sic porro imperare. Quod ne

---

1) De Comitibus. p. 360 sq.

2) Ueber die Phylen. p. 45 sq.

3) Ueber Phratia p. 29.

4) IV. p. 217 sq.

refutatione quidem dignum esse, facile quisque perspiciet.

Sed unicus, ut mihi videtur, totius erroris fons est vocabulorum tribus et ordinis significatio permutata. Putant enim, voce  $\phi\upsilon\lambda\eta\varsigma$  non tribum, sed ordinem designari, quod apud omnes inde ab Hüllmanno <sup>x</sup>) invenies. Qua vero de re, jam supra a me accuratius tractata, disserere nolim.

Sed haec sufficiant; rem ita probatam esse puto, ut nulla amplius possit de ea manere dubitatio.

#### §. 4.

Accedo nunc ad alteram disputationis partem, quae in tribuum Atticarum nominibus explicandis versatur. Haec vero quaestio ut melius solvatur, leges demonstrandae mihi videntur, secundum quas omnia aliorum populorum tribuum nomina formari soleant; ex his enim disquisitionibus, velut e specula, in totam quam emensurus sum regionem, prospectus patebit.

#### §. 5.

Duo tribuum inveni nominum genera, quo-

---

1) Anfänge der Griechischen Geschichte p. 136.

rum altera propria, ut ita dicam, altera sunt appellativa. Prioris ordinis triplicis reperiuntur generis:

1) Nomina incertae originis, quae etiam omnium sunt antiquissima et quorum significatio nunquam inventa esse potest. — Talia sunt germanarum tribuum, quae Saxones, Suevi, aliique dicuntur; item gentis Ibericae, quae Aquitani, Ligures <sup>1)</sup> etc. appellantur, multorumque aliorum populorum nomina.

2) Aliae tribuum denominationes sunt a terrae situ atque indole ductae. — Sic tres Gallorum Britannicorum tribus, regionem suam, quae hodie Scotia dicitur, in tres descripserunt partes: Albaniam, sive montanam, a gallico vocabulo al, quod altus significat, dictam; Maïatiam vel potius Magaïte, campestem (région des plaines) et Caledoniam, sive silvosam a vocabulo Calyddon, sylvā, appellatam et ipsiisdem insigniti erant nominibus <sup>2)</sup>. — Pariter

---

1) Strabo p. 189; 167. — Steph. Byz. v. *Λιγυστινή*.

2) Haec ex Amedaei Thierry optimo hausi opere, quod lingua francica Parisiis 1828 editum,

etiam ii Galli, qui sub Umbrorum nomine Italiam invaserunt, nomina sua a partibus sumserunt, in quas totam subjectam terram secundum tres eorum tribus diviserunt, quaeque erant: "Ολαμβροι <sup>1)</sup>, quod a vocabulo oll, sive all est ductum et locorum altiorum sive montium incolas significat; hi, posteriore etiam tempore, montes supra Tuscos <sup>2)</sup> incolebant et oppida Pitinum, Forum Sempronii aliaque; "Ισομβρες <sup>3)</sup> vel Umbri inferiores, planorum ad Padum fluvium incolae <sup>4)</sup>, Latinis dicuntur illi Insubres; Οὐλομβροι, Vil-Ombri denique <sup>5)</sup>, vel Umbri littorales, qui nomen suum a vocabulo vil sive bil acceperunt, quod Gallico sermone littus significat <sup>6)</sup>. Hos Umbros eos fuisse

---

Histoire des Gaulois inscribitur. Tomo I. p. XXXV.

- 1) Ptolemaeus I. III. c. I.
- 2) Idem ibidem: *οἱ εἰσὶν ὑπὲρ τοὺς Τουσκούς.*
- 3) Hanc lectionem Polybius solus exhibet libro II. c. 27. — Omnes ceteri habent Insubres, etiam Ptolemaeus.
- 4) Polyb. I. I. Ptolemaeus. I. I.
- 5) Ptolem. ibid.
- 6) Thierry ibid. p. 13.

Thierry putat, qui antiquissimis temporibus Etruriam incolebant <sup>1</sup>).

3) Tertii denique generis ea sunt tribuum nomina, quae a ducibus vel heroibus ducta sunt, quorumque multa exempla apud orientis populos praecipue inveniuntur. — Omnibus ceteris praeteritis, Hebraeos tantum afferam, quorum 12 tribus, uti constat, secundum Jacobi 12 filios nominanti sunt.

Haec sunt nomina tribubus propria, quibus semper totus utitur populus. His aliae accedunt denominationes, quas supra appellativas nominavi: eas dico, quae a Deorum nominibus, quorum in diversis tribubus diversus est cultus, haustae sunt. Illae multis sunt obnoxiae vicissitudinibus, quare nunquam pro propriis usurpantur. — Cujus rei quum multa inveniantur exempla, tum id praesertim attulisse juvat,

---

1) *ibid.* ad hanc sententiam probandam Plinii habemus testimonium III, 6. Falsum locum e Cluveri *Italia antiqua* I, II, c. 4. Plinii I, III, 14 — 15. exscripsit Thierry.

quod e Taciti de Germania libro \*) cognoscimus, qui de tribubus Germanorum disserens: „celebrant, inquit, carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus est, Thuisconem deum terra editum et filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tres filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Hermiones, ceteri Istaevones vocentur. Quidam, ut in licentia vetustatis, plures Deo ortos pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalos affirmant, eaque vera et antiqua nomina“. Quo ex loco jam primo conficitur aspectu, Ingaevonum, Hermionum atque Istaevonum nomina, sub quibus, secundum Monii opinionem, Saxones, Franci atque Suevi intelligendi sunt, a Deorum nominibus orta esse: cujus rei praeter Tacitum, scriptorum medii aevi habemus testimonia, qui Hermionis sive Irmunii (Irmensäule) cultum, usque ad Caroli regnum inter Germanos propagatum fuisse ostendunt. Quod qui copiosius scire volunt, vi-

---

1) Germania. c. 2.

deant Monii de gentium septentrionalium religione opus <sup>1)</sup>, qui clare et abunde de hac re disputavit; confuse scripsit de eadem re Phillipsius <sup>2)</sup>, professor Berolinensis.

Sed non raro etiam accidit, ut nomen proprium pro appellativo usurpetur, ita ut una eademque tribus multis gaudeat nominibus, quae tamen, sicuti antecedentia, nunquam firma esse possint. Ita appellantur in carminibus epicis antiquis (National-Heldensage) a ducum suorum nominibus Germanorum tribus: Heggelingi, Niebelungi ac Wölfingi, e quibus Saxones sub primis, Franci secundis, Suevi denique sub tertiis intelligendi sunt. Quod qui non credant, videant velim tabulas illorum heroum genealogicas, quas Monius operi suo, jam supra laudato, adiecit, quibuscum ea conferenda sunt, quae Guilelmus Grimmus in opere: Die Deut-

---

1) Geschichte des Heidenthums im nördlichen Europa. Tom. II, p. 5, 50.

2) Deutsche Geschichte. Berolini 1852. tomo I, p. 12, 29.



sche Heldensage, inscripto <sup>1)</sup> disseruit. Vide etiam quae Monius de ea re disputavit <sup>2)</sup>.

Pari etiam modo eae sunt interpretandae appellationes, quibus Sueones, Norwegi atque Dani in suis carminibus designantur, quaeque sunt: Inglingi, Scjoeldingi ac Saemingi, et ab Othini filiis dicuntur ortae.

Quae quum ita sint facile colligitur:

1) Quamque populi tribum unum tantum habere nomen proprium, quod immutabile est et vel ab origine, vel a terrae situ, vel denique a ducibus depromatur.

2) Possunt illae etiam alias habere appellationes, quae vero nunquam firmae et stabiles, sed variis obnoxiae sunt vicissitudinibus et nunquam sensu politico, ut ita dicam, usurpantur.

#### §. 6.

Haec praemittenda fuerunt, ut reliqua melius intelligerentur. Omnium auctorum, qui tribuum Atticarum meminerint, antiquissimus

---

1) Gottingae anno 1829 edito, p. 66 sq. et 342.

2) Ibidem Tomo I, p. 228 sqq.

est Herodotus, qui de Clisthene Atheniensi ita scribit <sup>1)</sup>: *μετὰ δὲ τετραφύλους ἔοντα Ἀθηναίους δεκαφύλους ἐποίησε, τῶν Ἴανος παίδων Τελίοντος καὶ Αἰγικόρου καὶ Ἀργαίου καὶ Ὀπλητος ἀπαλλάξας τὰς ἰωνυμίας ἐξέρων, πάρεξ Αἰάντος et c. Idem Stephanus Byzantius <sup>2)</sup>, atque Pollux <sup>3)</sup> testantur. Haec erat domestica fama, populoque jucundissima, quatuor tribus ab Jonis filiis nominatas fuisse, quem ipsum ab Apolline natum Athenienses affirmabant et ita regnum suum Diis gratum esse opinabantur. Quam famam in poetarum carminibus, qui populi gratiam adulando aucupari semper conati sunt, omnibus artis coloribus exornatam invenimus. Sic cecinit Euripides in tragoedia, quae Jon dicitur, hujus Viri divinam originem, vaticinia, Deorumque erga Athenienses benevolentiam. Quo in dramate a populo magnis cum laudibus accepto, Minervam ita fecit Jonam fata praedicere <sup>4)</sup>:*

---

1) Herod. V, 66.

2) Steph. x. *Αἰγικόρου*.

3) Pollux l. VIII, 109.

4) Jon v. 1569 — 1581.

\* ἼΑΛΛ' ὡς περ αἰὶνᾶ πρῶτα γὰρ καὶ χρησμάς θεῶν,  
 Ἐφ' οἷς ἐξέτιξ' ἄρματ', εἰσακούσαστον.  
 Λαβούσα τόνδ' αἰδᾶ Κερροπιᾶν χθόνα  
 Χώρει, Κρέουσα, κείς θρόνου τυραννικαῖς  
 Ἰδρυσον' ἐκ γὰρ τῶν Ἐραχθίδας γηγῶς  
 Δίκαιος ἄρχειν τῆς γ' ἐμῆς ὄδῃ χθονός.  
 Ἔσται τ' ἂν Ἑλλάδ' εὐκλεής· οἱ τοῦδ' αἰὶν γὰρ  
 Παῖδες γινόμενοι τέσσαρες ῥίζης μιᾶς,  
 Ἐπάνυμοι γῆς καπιφυλίου χθονός  
 Λαῶν ἔσονται, σκόπελον οἱ ναίουσ' ἐμὸν.  
 Τελέων μὲν ἔσται πρῶτος· ἔτινα δεύτερον  
 Ὀπλητες Ἀργαδαῖς τ' ἐμῆς τ' ἀπ' αἰγίδος  
 Ἐμφυλον ἔξουσ' Αἰγικορῆς.

Cum igitur e poëtarum carminibus, tum e scriptorum sglutae orationis, Historicorum atque Grammaticorum operibus, constanter colligatur, haec antiquarum tribuum fuisse nomina: Τελέοντες, Ὀπλητες, Ἀργαδαῖς et Αἰγικορῆς, quas Jonicas fuisse tribus iis, quae attulimus, et multis aliis veterum probatur testimoniis. Quod vero ad Pelasgicas tribus attinet, de quibus multi somniant scriptores recentiores et antiqui, nihil de iis certi statui potest; omnia enim ea, quae

de iis memoriae tradita sunt, ad Ionicas pertinere et errore tantum a senioris aetatis scriptoribus Pelasgis adscripta esse censeo. Locus hac in re classicus in Pollucis invenitur Onomastico <sup>1)</sup>, cujus verba ita se habent: *Ἀφ' Ὀυλῶν τῆς μὲν ἐπὶ Κέκροπος, ἦσαν τέσσαρες· Κεκροπίς, Ἀντόχθων, Ἀκταία, Παράλια. ἐπὶ δὲ Κραναῶν μετωνομάσθησαν· Κραναίς, Ἄτθίς, Μεσόγαια, Διακρίς. ἐπὶ δὲ Ἐριχθονίου· Διάς, Ἀθηναίς, Ποσειδωνίας, Ἥφαιστίας. ἀπὸ δὲ τῶν Ἴωνος παίδων ἐπὶ Ἐρεχθέως· Γελόντες, Ὀπλητες, Λιγυκόμενοι, Ἀργαδαίς. Hic quatuor conspicuuntur nominum genera: primum quae terrae descriptionem spectant, ut sub Cecrope Ἀκταία, Παράλια et sub Cranno Μεσόγαια atque Διακρίς; tum quae ad Deorum cultum pertinent, ut nomina tribuum quae Erichthonio assignantur; deinde a regum nominibus hausta, quae sunt Κεκροπίς, Ἀντόχθων, Κραναίς et Ἄτθίς, ea denique quae Jonis filiis fama adscribit. Sed hic jure offendas in tam mira denominandi ratione. Quid enim? Eodemne tempore duas partes Paraliam et Actaeam a sedibus, reliquas autem*

1) Onomas. VIII. 109.

Autochthonem et Cecropidem ab origine aut duce; eodemque modo postea Diacriam et Mesogaciam a sedibus, Cranaidem et Atthidem a rege regisque filia nominatas esse? Ita ut satis mirari nequeas, quum in contrarium mutata nominandi ratione, eos, qui ante ab origine aut ducibus denominati essent, post, abolitis prioribus nominibus, a solo quod incolebant; qui autem ante a sedibus, postea a regum nominibus appellatos fuisse invenias. Qua re sedulo perpensa, exitum ex hoc labyrintho invenire frustra nitenti mihi; venit subito in mentem, totam confusionem ex errore esse ortam. Et quidem nunc persuasum habeo, quod antea tantum suspicabar, Pollucem ipsum, vel alium Grammaticum, e quo ille transcripsit, locum in scite corrupisse; qui si ita legeretur: Αἱ Φυλαὶ τῆς μὲν ἐπὶ Κέκροπος ἦσαν τέσσαρες· Κεκροπίς, Αὐτόχθων, Κραναιὶς, Ἀτθίς. ἐπὶ δὲ Κραναιῶν μετανομάσθησαν Ἀπταλία, Παραλία, Μεσόγαια, Διακρίς. ἐπὶ δὲ Ἐρικθονίου Διῶς, Ἀθηναίς, Ποσειδωνίαις, Ἡφαιστιῶς. ἀπὸ δὲ τῶν Ἰωνος παίδων ἐπὶ Ἐρεχθεῶς Τελιόντες, Ὀπλητες, Αἰγικόρεις, Ἀργαῖδες, optimum daret sensum. Ha-

bebimus enim tunc nomina et geographica et religionem spectantia.

Sed quod ad ea attinet nomina, quae tribubus a Cecrope institutis tribuuntur, de iis nihil certi statuere licet: in Pollucis enim tantum reperiuntur libro; verisimilior tamen ea mihi videtur sententia, quam Schoemannus in optimo suo de Atheniensium comitiis libro tulit <sup>1)</sup>, qui de his tribubus disserens; „ea puto, inquit, non „vetere aliqua rerum illis temporibus gestarum „fama niti, sed eorum acumini deberi, qui poëta „stea poëtarum fabulas pro suo captu aut praec „judicatis opinionibus tractabant et interpreta „bantur. Magna enim olim erat fabularum Atticarum multitudo, populi originem, reipublicae primordia, artium legumque inventionem „celebrantium. Haec igitur verisimilior videtur „sententia, totam hanc de istis tribubus narrationem ab aliquo eorum scriptorum profectam „esse, qui e poëticis fabulis populi Attici antiquitates contexuerunt, quorum haud pauci „passim a Grammaticis praecipue, laudari so-

---

1) p. 346 sq.

„lent <sup>1)</sup>. Horum igitur scriptorum aliquis, cum  
 „eas, quae ad Clithenem usque permanse-  
 „serunt, tribus non ante Jonem institutas esse  
 „sciret, quaerens, quanam ante illud tempus  
 „populi divisio fuisset, cum passim in carmi-  
 „nibus, quae de Cecrope Cranaoque agerent,  
 „Autochthones, Cecropidas, Cranaos, Actaeos,  
 „itemque Mesogaeam, Paraliam, Diacriam, At-  
 „thidem nominari videret, in hac nominum di-  
 „versitate, eam, quam quaerebat, populi divi-  
 „sionem tribuumque descriptionem sibi de-  
 „prehendere visus est.“

Aliter est de iis tribuum nominibus statu-  
 endum, quae a Cranao atque Erichthonio in-  
 venta esse dicuntur. Nam quum priorum de-  
 nominationes plane fictae, haec in populi usu  
 fuisse mihi videantur. Quam od rem id lecto-  
 rem in memoriam sibi revocare velim, quod  
 supra de tribuum nominibus in genere et prae-  
 cipue quod de Germanicis disputavi. Pariter  
 enim atque Germani habebant, ut mihi videtur,  
 etiam Atheniensium tribus plura nomina uno

---

1) Vide Heynium ad Apollod. p. 319 (obs.).

eodemque tempore, quorum quae Jouis tribuntur filiis Τελέωντες, Ὀπλητες, Ἀργαδῆς atque Αἰγιοκορεῖς sunt propria; omnia vero cetera appellativa, et quidem haec a sedibus vel soli natura: Paralia, Diacria, Mesogaea atque Actaea; illa a Deorum nominibus, quorum cultus singulis praevalerat in tribubus: Dias, Athenais, Posidonias et Hephaestias, desumpta.

### Theses defendendae.

#### I.

Populorum historiam considerantes, intelligimus, omnes populos secundum leges quasdam certas ut ad rem literariam, ita ad rem publicam excoli atque varias emetiri vitae periodos, sive aetates; quae leges quia immutabiles sunt, periodi etiam, sive aetates ita necessariae sunt atque stabiles, ut nulla gens eas migrare possit.

#### II.

Haec vero leges quia omnibus gentibus communes sunt, omnium gentium res publica aequaliter excolitur, quamvis singularum rerum species varia sit. Quae leges historicam constituent veritatem, eas vero ediscere summus historici finis est.

#### III.

Sed quia singulae res gestae, non nisi ex lege aliqua manant, non sunt historica veritas, sed symbolum tantum veritatis; et vel fieri vel non fieri possunt.



#### IV.

Cum vero ad perspicendas singulas res gestas, causae, unde oriuntur, primum cognoscantur necesse sit, quaelibet autem res gesta interiore cum civitatis forma nexu contineatur, hujus naturae atque indolis cognitio, sive doctrinarum publicarum scientia, omnium disciplinarum historico maxime necessaria est.

#### V.

Igitur recentissimi historici: Guizotius in opere: *Histoire de la civilisation en France*, Hallamus in *medii aevi historia* et nonnulli alii, qui leges, quarum in prima nostra atque secunda thesi mentio fit, operibus suis explicarunt, quique singularum rerum gestarum inter se et cum tota re publica nexum sive concentum monstrarunt, omnibus antiquis historicis superiores sunt.

#### VI.

Exinde etiam sequitur, historiam antiquam, quia nemo eorum, qui in ea explicanda operam collocarunt, rectam hanc viam ingressus est, nondum ea, qua par est, ratione tractatam esse, licet initia quaedam non desint.

#### VII.

Eorum opinio, qui Pelasgos nil aliud nisi colonos Phoenices et Aegyptios esse statuunt, falsa est.

#### VIII.

Quam sententiam Winckelmannus olim inuebat, ulterius vero explicuit C. O. Müllerus, Graecorum cultum atque artes non a gentibus australibus profecta, sed ex ipsorum ingenio atque indole provenisse, licet Phoenicum aliorumque populorum commercium atque contagio denegari non possint, veram historiae Graecorum considerandae rationem aperit.

---

